Iſta quatuoꝛ antiqui ſuis hoſpitibꝰ exhi
bebant. que tamen phariſeus xp̄o exhibe-
re ꝯtempſit. ſcꝫ munus a coꝛde. qꝛ recipie
bant eos ex caritate. ſed iſtam caritatē nō
habuit phariſeus qꝛ parꝝ dilexit Unde ē
quod dicitur. Cui aūt minus dimittiť mi
nus ſe diligit. Exhibebant munus ab oꝛe
ſcꝫ oſculum in ſignū ſecuri hoſpicij. ſed iſ
tud phariſeus nō habuit. qꝛ chriſto oſcu-
lum non dedit. Unde dꝛ. Oſculum mihi
non dediſti. hec autem ⁊c̄. Exhibebat mu-
nus a manu. qꝛ vngebant caput ad refri-
gerium. ſed iſtud phariſeus non fecit. qꝛ
caput chriſti non vnxit. Et exhibebant mu
nus ab obſequio. qꝛ eius pedes lauabāt
pꝛe laboꝛe itineris. ſed iſtud phariſeus nō
fecit. qꝛ pedes xp̄i non lauit.

¶ De ſancto Jacobo apoſtolo.
Sermo pꝛimus.

Occidit autem
iacobū fratrem iohannis gla
dio ⁊c̄ Actu. xij. Non ſolum
mors beati iacobi fuit precioſa. ſed etiā vi
ta eius fuit gratioſa. Habuit enim multa
pꝛiuelegia in vita. in moꝛte. ⁊ poſt moꝛtē.
¶ Nam in vita habuit coꝛam deo magnam
grām. ꝯtrum ad demones magnam potē
tiam. Fuit etiam corā xp̄o valde grōſus
qꝛ cum xp̄s habuit. lxxij. diſcipulos. ſi vo
luit facere grām. xij. e illis. iſte fuit vnus
de illis. xij. qñ in apoſtolū eſt electus. Si
voluit facere grām quatuoꝛ iſte fuit vnus
de illis quatuoꝛ. ſicut pꝫ Math. xiij. vbi
petro. andree. iacobo ⁊ iohanni multa ſe-
creta reuelauit. Si voluit facere gratiam
tribꝰ. iſte fuit vnus de tribus. qꝛ petrum.
iacobū ⁊ iohannem admiſit ad ſuā tranſ
figuratōem ⁊ puelle reſuſcitationem. Si
voluit facere gratiam duobus. iſte fuit v-
nus de duobꝰ. Habebat namqꝫ xp̄s duo
nomina que apoſtolis imponere voluit. ſ.
petrus ⁊ filius tonitrui. ſed vnū impoſuit
ſymoni. aliud vero iacobo ⁊ iohanni. Si
voluit vni facere gratiam. iſte Jacobꝰ fuit
ille vnus qui fuit pꝛimus inter apoſtolos
qui ꝓ xp̄o paſſus fuit. pꝛimus etiā celos
aſcendit. ⁊ in die annunciationis ⁊ paſſio
nis dominice martiriū ſuſtinuit. ꝓut dicit
calixtus papa. ¶ Secundo ad demōes fu
it multe poteſtatis. Nam ſicut in legēda
habeť demones valde timebant ſudarium
ſuum ⁊ baculū ſuum. ⁊ ſuum incendiū ⁊
cubiculū ſuum ¶ Secundo habuit pꝛiue
legium in moꝛte. ſcꝫ tranſlationem mira-
culoſam. Ibi enim oñdit miraculū in om
nibꝰ elementis ſcꝫ in aqua. Nam diſcipu
li eius ſe mari exponentes. ſine regimine
tranquillum mare habuerunt. Pˢ In ma
ri vie tue ⁊c̄. In aere. qꝛ ventus ſecundus
eis flauit qui ad poꝛtum eos duxit. Pˢ
Deduxit eos in poꝛtum voluntatis eoꝝ.
In terra. qꝛ cum in terra ſupinum lapi-
dem poſuiſſent mox lapis ceſſit ⁊ in ſepul
chꝝ ſe coaptauit. In igne. qꝛ draconē ſpi
rantem ignem diſcipuli qui poꝛtabāt coꝛ
pus per mediū virtute crucis ipſum dra-
conem ſciderunt. ⁊ ipſum coꝛpus in reue
rētia ⁊ hōꝛe hūerunt creature pure coꝛpa
les ſicut lapis de quo ſupꝛadictū eſt Cre
ature etiam ſenſibiles. ſicut thauri indo-
miti vt in eius legenda habetur. ſicut pa-
ter in lupa regina que poſtmodū facta eſt
agna. Intellectualis qꝛ ſicut dicit leo pa
pa angelo duce diſcipuli coꝛpus eius in
galliciā deduxerunt ¶ Tercio habuit ma-
gnū pꝛiuelegiū poſt ſuam moꝛtē ſcꝫ remu
neratōem glorioſam ⁊ ſubuentionē quā
nobis exhibet fructuoſam Habuit quidē
glorioſam remunerationem quam mater
petijt dicens Math. xx. Dic vt ſedeāt hij
duo filij mei. vnus ad dexteram ⁊c̄. Per
ſiniſtram pꝛem vita preſens per dexteram
vero vita beata figuratur. Sedent igiť hij
duo apoſtoli ad ſiniſtram. qꝛ coꝝ coꝛpoꝛa
in preſenti vita in multa gloria ⁊ honoꝛe
habentur. Nam etſi coꝛpus iohannis nō
inueniatur. tamen in multa gloria eius ſe

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pulchꝝ habet̃. Sedẽt ad dexteram. quia
coꝝ anime in celo beatificant̃. Plus igit̃
christus eis ꝯcessit ꝙ̃ mater petijt. petije
enim vt vnus ad dexteram ⁊ alius ad si/
nistram sederet. Et ecce ambo ſedent ad
dexteram ⁊ ambo ad ſiniſtrã. ꝓpꝛie tamẽ
poſt reſurrectõnem ſedebũt in celo ad dex
teram ⁊ ſiniſtram. Per dexteram enĩ xp̃i
diuinitas intelligit̃. ⁊ ꝑ ſiniſtraꝫ eius hu
manitas. Tunc ergo ſancti ſedebunt ad
dexteram dĩ qñ coꝝ anime beatificant̃ in
ꝯtemplatõne diuinitatis. Tunc ſedebũt
ad ſiniſtram dei qꝛ tunc viſus corpoꝛalis
delectabitur in viſione humanitatis Vel
poteſt dici ꝙ in preſenti vita etiam ꝙ̃tuꝫ
ad corpoꝛa verificatum eſt quod mater pe
tijt. Dextera ſiquidem celi eſt oriens. ſini
ſtra vero eſt occidens. Sedet igit̃ iohan/
nes a dextris. qꝛ ſepulchꝝ habet ex parte
orientis. ſedet iacobus a ſiniſtris qꝛ qui/
eſcit ex parte occidentis ¶ Scd̃o beatus
iacobus exhibet nobis ſubuentõnem fruc
tuoſam. ſicut dicit beatus Aug. Homo
tripliciter ꝯſideraт̃ ſcꝫ viuens. moriens.
⁊ mortuus. In iſto triplici ſtatu beatus ia
cobus adiuuat ſibi deuotos. Naꝫ in vita
impetrat peccatoꝛibꝫ remiſſionem ſicut re
fert Beda de illo qui peccata ſcripſit in ce
dula ⁊ remiſſionem ꝓmeruit. In moꝛte
iuuat ⁊ ꝓtegit ꝯtra demonũ infeſtatõnẽ.
ſicut patet in illo cui laborãti in extremis
apparuit ⁊ burdone vtens ꝓ lancea. ⁊ ſac
culo muliercule ꝓ ſcuto demones effuga
uit. Poſt moꝛtem iuuat ne incurramus
eternam damnationeꝫ. ſicut refert Hugo
de ſancto victoꝛe de illo qui ad ſanctum
iacobum ꝑgẽs cum ad ſuaſionem demo/
nis ſe occidiſſet. ⁊ ad infernum a demoni
bus duceretur. beatus iacobus occurrit
⁊ ipſum ab inferno ⁊ a demonibus libera
uit.

¶ De eodem Sermo. ij.

Acceſſit ad ihesum mater filioꝛuꝫ
zebedei ⁊c̃. Math. xx. ca. In iſto
euangelio mentio fit de tribꝫ. ſcꝫ de matre
de filijs. ⁊ de chriſto. In matre namq̃ di
cunt̃ fuiſſe fiducia. reuerentia ⁊ ignoran/
tia. vnde dicit Rabanus. Acceſſit ad ihe
ſum ⁊c̃. In acceſſu namq̃ notat̃ ꝯfidẽtia
in adoꝛatõne reuerentia. in petitõne igno
rantia. Fiducia autem per quam acceſſit
cauſabat̃ ex eo ꝙ nepos ſuus erat Anna
quidem habuit primũ virum. ſ. ioachim
de quo genuit virginem beatã mariã que
chriſtũ genuit. quo quidem ioachim moꝛ
tuo. beata anna duxit alium viꝝ ĩ maritũ
nomine cleophas. d̃ quo genuit mariam
que genuit iacobũ minoꝛem ⁊ ioſeph iu/
ſtum ſymonem ⁊ iudam. quo moꝛtuo ac
cepit tercium maritum nomine ſalome. d̃
quo genuit terciam mariam. que habuit
iacobum ⁊ iohannem ¶ Secũdo in ea fuit
magna reuerentia que notat̃ in hoc ꝙ nõ
tm̃ deum adoꝛauit. ſed etiam ꝓpter xp̃m
viꝝ ſuũ reliquit. vnde dicit Criſo. Nõ eã
vicit maritalis affectus qꝛ ille tẽpoꝛalis
erat eius maritus. iſte ãt eternus ſpõſus.
Cognouit enim ꝙ amplius ꝓdeſſet ma
rito ſuo ſi ꝓpter deum relinqueret viꝝ. ꝙ̃
ſi ꝓpter viꝝ relinqueret deuꝫ ¶ Tercio fuit
in ipſa ignoꝛantia vnde dicit Iheronim⁹
vñ opinionem regni habuit mater filioꝛũ
zebedei. Hac vt reoꝛ ex cauſa. qꝛ dixerat
dñs. tercia die reſurgã. Putauit eũ illico
regnaturꝝ ⁊ auiditate feminea pñtia cu/
pit immemoꝛ futuroꝝ ¶ Secũdo fit etiã
mentio de filijs in quibꝫ tria fuerũt. Pri
mo ſagacitas in ſubmittendo qꝛ per ſe nõ
petierunt ſed matrem ſubmiſerunt. quod
fecerũt ꝓpter quatuoꝛ cauſas. quaꝝ tres
primas ponit Criſoſ. Primo ne ceteros
diſcipulos ſcandalizarent. vñ dicit Criſ.
Si nos rogamus magiſtrum foꝛſan ce/
teroꝛum fratꝝ coꝛda ꝯcutimus Secũdo
vt ipſa pro filijs citius impetraret. Criſ.
Ipſe dñs qui maternos animos filioꝛũ
miſeratõne adimpleuit. facilius exaudiet
maternũ affectũ. Tercio qꝛ ſi nõ diſcrete

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

peteret chriſtus ſibi facilius indulgeret.
Jdem ſi reprehenſibilis inuenta fuerit. fa
cile merebit̃ veniam. ip̃e etenim ſexus ex
cuſabit errorem. Quarto ne ipſi notã am
bitionis incurrere poſſent. Petere em̃ pri
matũ ꝓ aliquo eo ignorante tolerabile ẽ.
⁊ ꝓ ꝯſentiente reprehenſibile. ꝓ ſe autem
vituperabile. ¶ Secundo in eis fuit temeri
tas in poſtulando. Aut enim petebant pri
matum terrenũ. aut celeſtem. Si terrenũ
temerariũ ⁊ fatuitas erat. q꞉ volebant do-
minari in mundo. Si celeſtem temeritas
ſimiliter erat. q꞉ ſine meritis illud aſſequi
volebant. Dicit namqꝫ criſo. ꝙ deſidera-
re bonũ opus bonum eſt. q꞉ eſt noſtre vo-
luntatis ⁊ nr̃a merces. deſiderare aũt pri-
matũ terrenũ vanitas eſt. deſiderare vero
primatũ eccleſiaſticũ vanitas ⁊ fatuitas ẽ
q꞉ oportet ꝙ ſit ſeruus ſubditoꝝ. Deſide
rare aũt primatum celeſtẽ ſine meritis te-
meritas eſt. ſed deſiderare ipſum ex meri
tis precedentib⁹ ꝓuidentia eſt. ¶ Tercio fu
it in eis firmitas in patiendo cum dicunt.
poſſumus. ⁊ xp̃s ſubiunxit. Calicẽ quidẽ
meũ bibetis ⁊c̃. Bibit em̃ iohannes ꝑ mor
tificatõem. ꝑ martirij deſideriũ ⁊ afflictio
nem. ⁊ ꝑ venenì ſumptõem. per feruentis
olei aduſtionem. Bibit iacob⁹ per carnis
mortificatõem ⁊ ꝯtum ad deſiderium vo
luntatis. ⁊ ꝯtum ad effectum paſſionis.
¶ Tercio fit mentio de xp̃o. in quo etiam
tria fuerunt. Primum eſt magna benigni
tas in r̃ndendo. Criſo. Benigne quidem
eos reprehendit. Non enim dixit. nõ ſede
bitis ne duos ꝯfunderet. nec etiam dixit
ſedebitis. ne ceteros irritaret. Matrem au-
tem noluit reprehendere ꝓpter ſimplicita-
tem. antiquitatem. ⁊ maternum amorem
¶ Secundo in xp̃o fuit rectitudo zeli in rep
hendendo cũ dixit. Neſcitis quid petatis
Poteſtis bibere calicẽ quem ego bibitu-
rus ſum. Dicit̃ aũt paſſio xp̃i calix a calo
re. vel ſm̃ yſido. Calix d̃r a calon qđ eſt li-
gnum. Erat em̃ antiquitus vas ligneum
in quo medicine calide ⁊ amare ꝓpinabã
tur. Similiter ⁊ paſſio criſti fuit in ligno
crucis ꝓpinata. ⁊ fuit noſtraꝝ infirmitatũ
ſanatiua. fuit ex calore amoris facta. ⁊ fu
it xp̃o valde amara. ¶ Tercio fuit in xp̃o fi
delitas in deferẽdo. q꞉ patri detulit dicẽs
Non eſt meũ dare vobis. Criſo. Non eſt
meũ dare vobis. q꞉ non habeo illud a me
ſed a patre. Vel ſm̃ rabanũ. Nõ eſt meũ
dare vobis ſine veſtro merito ⁊ labore. vel
ſm̃ remigiũ. Non eſt meũ dare vobis tali
bus quales vos eſtis. ſ. ſupbis ſed humi
lib⁹. vel ſm̃ Jheron. Non eſt meũ dare vo-
bis rõne cognationis carnalis.

¶ De eodem Sermo. iij.

Calicem quidẽ meũ bibetis. Ma
thei. xx. Deus hꝫ tres calices in
p̃nti. ⁊ tres in futuro. Jn preſenti
quidẽ tres calices hꝫ. Quoꝝ primus eſt
balſamo plenus. i. ſpũ ſcõ. ⁊ iſte eſt calix
innocentie in quo bibit xp̃s. virgo beata ⁊
oẽs apl̃i in die penthecoſtes. Jnter quos
precipui fuerunt iſti duo. ſ. iacob⁹ ⁊ iohã-
nes. Bibunt etiã oẽs pueri baptiſati qui
baptiſmalem innocentiã aſſequunt̃. De
quo in p̃s. d̃r. Ego aũt in innocentia mea
ingreſſus ſum. ¶ Scd̃s calix eſt plenus ab
ſinthio ⁊ iſte eſt calix p̃n̄e. Qui em̃ amiſit
balſamũ gratie ⁊ innocẽtie accedat ad ca
licẽ amare p̃n̄e. Licet aũt ſit abſinthium
amaꝝ debet tñ dulcorari ꝓpter celeſte pre-
miũ. Math. iiij. Agite p̃n̄am. ecce abſin
thiũ. appropinquabit em̃ regnũ celoꝝ. ecce
ibi premiũ. Jn iſto calice non bibit xp̃us
nec beata virgo. biberunt tñ omnes apoſto
li in iſto tp̃e paſſionis xp̃i. Bibunt etiam
omnes electi Juxta illud Ro. viij. Om
nes peccauerunt ⁊ egent gr̃a dei. ¶ Tercius
calix eſt plenus ſanguine rubicundo. Jn
iſto bibit xp̃s Johan. xviij. Calicẽ quem
dedit mihi pater non bibam illum. Bibe-
runt oẽs martires Apoca. vij. Lauerũt ſto
las ſuas ⁊ dealbauerunt eas in ſanguine

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Qui igitur amisit balsamum innocentie ⁊ abiecit absinthiū penitentie accedat ad tercium calicem scilicet ad meritum pas/sionis dñice. Ipse enim sanguis ⁊ mors christi nos a peccatis lauat. ꝓ nobis ad/uocat ⁊ ꝓ nobis orat. De istis tribus le/git᷑ Hebre.ix.ca. Emundabit ꝯscientias nostras. ⁊ hoc quo ad primū. ⁊ ideo noui testamenti mediator est quo ad secundū. vt in morte intercedente quo ad tercium

¶ Scd̄o deus habuit tres calices post hāc vitā. quoꝝ primus est plenus vino mero secūdus est plenus vino mixto. tercius ē plenus fece. de quo triplici calice dicitur ps. Calix in manu domini vini meri ple/nus mixto. Quedam enim anime sunt q̄ statim a corporibꝫ euolant celeste regnū attingūt. Et isti bibunt d̄ calice vini meri q² recipiunt puram leticiam ⁊ celestē gloriam. nec aliquam penam purgatorij sentiunt. De isto potu dicit᷑ Can.v. Bibite ⁊ inebriamini carissimi. Ebrietas namq₃ non causat᷑ ex vno hausto sed ex frequēti Modo enim anime sanctoꝝ habent vnū haustū sc₃ fruitōnem in ꝯtemplatōne di/uinitatis. sed in die nouissimo resumpto corpore habebūt alium. Et ideo bibent et rebibent ⁊ ebrietatem tunc incurrent. An/geli nāq₃ sunt amici q² deo intimo amore sunt cōiuncti. Sancti vero sunt deo cari. q² sunt ꝯiuncti ꝑ amorem. ⁊ cariores q² sunt ibi nature ꝯformitate ꝓpinqui Et carissimi. q² precio carissimo redempti. Angeli vero qui sunt amici bibunt q² ex contemplatōe diuinitatis suas delectatiōes hauriūt. Homines vero ⁊ bibūt in ꝯtemplatōne deitatis. ⁊ imbibunt in ꝯtemplatione hūanitatis ¶ Scd̄o sunt queda₃ aīe que nō statim euolant. sed aliqua cremabilia secum portant. Iste bibunt in calice vini mixti habent quidē gloriā sed cū admixtione pene purgatorij. de hoc Isa. Vinum tuū mixtum ē aqua. In purgatorio quidem multiplex est mixtio sc₃ pena cu₃ gratia. ⁊ securitas cū timore. Securi quidem sunt de gloria habēda sed semp sunt in timore ne minuꝫ differat᷑. Consolatio cum desolatōe. habent enim ꝯsolatōnē de tali securitate. ⁊ de angeloꝝ visione. sꝫ tñ desolatōnem habent de pene acerbitate et demonū apparitiōe. ¶ Tercio sunt quedam anime que in inferno detinent᷑. Et iste bi/bunt in calice pleno fece. In inferno qui/dem sunt feces omniū elementorū ⁊ oīm reꝝ. Si quidem facto iudicio extremo renouabit᷑ terra ⁊ nouam formam assumet. Renouabit᷑ aer ⁊ ꝑpetuam claritatem inducet Apoca.xxi. Vidi celum nouū ⁊ ter/ram nouam. Renouabit᷑ aqua. quia cri/stallinam formam accipiet. Vnd̄ Apoca. vlt. Ostēdit mihi fluuiū aque viue splē/didum tanq₃ cristallinum Omnes autē feces istoꝝ elemētoꝝ in latrinam infernalem ꝓicient᷑. Ipse etiam ignis renoua/bit᷑ q² lux a calore diuidet᷑ ⁊ tota lux trāsibit in regionem beatorū ⁊ totus calor in regionem damnatoꝝ. Ibi etiā sunt feces omniū reꝝ. nam in presenti vita non sunt bona pura sed mixta. Fex eī vite ē mors ⁊ fex sanitatis est infirmitas. Fex gaudij est dolor ⁊ tristicia. Fex lucis est tenebra. Deus igit᷑ tunc totū vinū lauabit d̄ fece Vinū puꝝ .s. vitā sanitatem gaudiū ⁊ lucem ponet in cellario celesti Feces autem sc₃ mortem infirmitatē dolorē ⁊ tenebras ponet in cloaca infernali. ⁊ istas feces dānati sp̄ bibent Isa.lj. Vsq₃ ad fundū calicis saporis bibisti ⁊ epotasti vs₃ ad feces

¶ De sancto Petro ad vincula.
Sermo primus

Dirupisti vincula mea ⁊ cetera. Quadru/plex beneficium ē ⁊ opus mirabile quod deus fecit. de quo multipliciter sibi regratiatur hodie sancta ecclesia representat

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf